

X X I.

Primum ergò Amicitiaë requisitum est, ut Amici erga se invicem benè affecti sint, sibiq; optima quæq; exoptent, ac pro virili exhibeant.

X X I I.

Qui affectus principium est Amicitiaë, quiq; diuturnitate temporis confirmatus ipsam tandem gignit & efficit Amicitiam.

X X I I I.

Etsi verò omnis quidem Amicitia est benevolentia: tamen non contra omnis benevolètia statim est Amicitia.

X X I I I I.

Qua de causa Genus latè patens per differentias duas limitatur & restringitur.

X X V.

Quarum prima ostendit, benevolentiam illam, quâ constituitur & firmatur Amicitia, *ἐν ἀντιπεποιθόσι*, id est, in mutua tùm amoris tùm beneficiorum compensatione seu retributione consistere.

X X V I.

Qua conditione à subiecto Amicitiaë inanimataë res excluduntur, quibus cum homine nulla propriè sic dicta intercedit Amicitia, cum illæ amorem mutuum homini præstare nequeant. 8. Eth. Nic. c. 2.

X X V I I.

Sed & alio planè Amoris genere res inanimatas homo prosequitur, & alio Amicum: Quod ipsum etiam nobis est indicio, Amicitiam inter hominem & inanimatas res nullam coalescere. 8. Eth. Nic. c. 2.

X X V I I I.

Etenim qui Amicum sincero complectitur amore; is non tam in suum ipsius, quàm Amici commodum, id facit. 8. Eth. Nic. c. 2.

Qui

2.
Gemine
differen-
tia,
Prima
differen-
tia.
Duplex
ratio
quòd ho-
mini cū
in ani-
matis re-
bus nulla
sit amici-
tia.

1.

2.